Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 877
Quelle:
Copyright:

fert *fol.* 86. donatus olim *Collegio Ducali in Wienna* a M. *Nic. de Dünkelspühl* continet sequentia: I. *Incipit liber S. gregorii pape urbis rome regule pastoralis Scriptus ad Johannem episcopum rauennat.* Initium: *Pastoralis cure me pondera fugere* &c. ut saepe relatum. Opus integrum, lectio sat sincera, Capitum Elenchus nullus.

II. *fol.* 37. p. 2. *Incipit Monologyon. i. soliloquium Anshelmi.* Ita quidem frons; sed dixeris cum Poeta: *Frontis nulla fides.* Quatuor enim hic congestae sunt Particulae, quarum Prima incipit: *Meditatio est frequens cogitatio* &c. et est *Hugonis de S. Victore* Opusculum *de Meditatione*, prout extat edit. *Opp. Rothomag.* 1648. T. II. p. 284. f. Altera incipit: *Vita cordis amor est* &c. et constituit *Caput* VI. et VII. Libelli *de Substantia Dilectionis*, quem habes in *Append.* T. VI. edit. *Maur. Opp. Augustini col.* 71. f. pariter ex *Hugonis* Scriptis consarcinatum. Tertia incipit: *Insipientem doctus interrogas. Queris quid tibi sit faciendum pro eo quod in habitu religionis opera digna tue professioni non habes.* &c. Epistola est, docens, quomodo de peccatis dolendum et pravis motibus occurrendum sit. Non reperta apud *Bernardum* et *Anselmum*, nisi *Petri Bles.* vel *Damiani*, aut *Ivonis Carnot.* sit, fortassis ad ipsum *Hugonem* pertineat, egregia et ἀνεκδοτος. Quartae demum initium est: *Loquar secreto anime mee* &c. unde rursus pro *Anselmo* habes *Hugonis Soliloquium de Arrha Animae* edit. *cit.* p. 223.

III. *fol.* 44. p. 2. *Probemium in proslogyon anshelmi.* Init: *Postquam quoddam uelut exemplum meditandi de ratione fidei* &c. Atque τὸ *meditandi* forsitan Scribam in errorem induerit, ut superius *de Meditatione* Opusculum pariter tribueret *Anselmo.* Sequitur in *Cod.* Index *Capitum* idem, quem habuit *Gerberonius* in edit. *Paris. Opp. Anselmi* 1721. f. in qua *Proslogion* nostrum legitur p. 29. a Codice vix quidquam abludens.

IV. *fol.* 48. p. 2. *Incipit evangelium Nychodemi.* Ita: *Factum est in anno nono decimo imperatoris Tyberii Cesaris — hystoriatus est Nychodemus acta* &c. chronologica haec, quae in edit. *Fabricii Cod. Apocryph. N. T.* P. I. p. 297. toti Narrationi postposita sunt, tam in Exemplo, quod *Vol.* I. P. 1. *col.* 453. retuli, quam in Versionibus *germ.* et in edit. *lat. s. l.* et *a.* f. quae ad *Augustam Vind.* et *Günth. Zeiner* pertinet, eam antecedunt. Exemplum praesens sistit in his verbis: *et per nequiciam iudeorum rursus uiuere denegatum;* omnia vero non tantum dictione, sed etiam rebus ipsis mire in diversum abeunt, familiari τῆς νοθείας argumento. Consules nobis *Rufinus et Vellio.* Ad calcem adjecta *Epistola Pylati ad Claudium r.* quae incipit: *Nuper accidit quod et ipse probaui* &c. et est *prima* apud *Fabric. cit.* p. 298. in